

ANALECTA HASSIACA. 141

indicio presentium memorie futurorumque noticie artius commendari. Hinc est, quod tenore presentium cunctorum noticie declaramus, quod *nobiles viri dominus Henricus & dominus Everhardus* fratres germani *de Vtershusen*, nec non *Henricus & Meinricus* filii ejusdem domini Everhardi medietatem omnium bonorum suorum que in villa *Grincenbach* proprietatis titulo possederunt, cum omni juris integritate in areis, domibus, agris, silvis, pratis, aquis, & pascuis, *Ecclesie* gloriose Dei genericis *Marie de Hegene* plane & libere contulerunt jure proprietatis perpetuo possidendam. Et in evidentiam hujus rei hanc kartam dictam donationem protestantem, sigillo nostre communitatis placuit roborari. Hujus igitur donationis testes sunt, Dominus *Ditmarus* plebanus *in Hoenberg*, *Everhardus*, *VVideroldus* & *Cunradus* fratres dicti *Holtfadele*, *Hervvicus* de *Cunnenvelt*, *Gundramus* de *Morsone*, milites, *Everhardus* quondam *scultherus* & *VVigandus* filius suus, *Rentvvicus* de *Borken*, *VVigandus* boemus, *Henricus* *Gotberod* & *Reinoldus* de *Hersfelt*. Actum anno dominice incarnationis M. CC. LIII. Indictione duodecima existente III. Idus Julii.

XIV.

Nos, *E. relicta Comitis BERTOLDI de Cygenhan* & *Lu. relicta Comitis GODEFRIDI de Cygenhan* cum filiis nostris *L. & G.* notum facimus universis hanc litteram visuris, quod *Albertus de Husen* bona sua in *Runderode* cum assensu nostro filiorumque nostrorum favore voluntaria-